Quelle: http://manuscripta.at/?ID=922
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

omni inuidia maior est: in quantum nequitia cedis humane hoc secat. per cessat homini inuidere. quod non potest aspirare. Sed et ipse omnem inuidiam aut mortificat exemplo humilitatis. aut mitiat in melius prouocatione caritatis. aut si nequior uel durior est obruitur pondere auctoritatis. Quis sicut iste tam prouocacius et affectuose procire hodie inuenitur ad fouendam caritatem ubi est. ad prouocandam ubi non est: tam ad quoscumque potest beneficus. ad omnes beniuolus. tantam habens gratiam ad amicos. pacientiam ad inimicos. Si tamen ullum habere aliquem potuit inimicum. qui nulli aliquando uoluit inimicari. Sicut enim amicicia non duorum est. nec non inter duos amicos haberi potest. sic nec inimicicia non duorum inimicorum est. Qui enim odit uel non diligit diligentem se. non tam inimicus quam iniquus est. Sed qui omnem hominem diligens. nullum aliquando inimicum habebit in uita sua. non numquam tamen est quod patiatur inimicantem sibi gratis iniquitate aliena. Caritas autem que totum eum possidet paciens est. benigna est. sapientia uincens maliciam. patientia impacientiam. superbia humilitatem.

Subscriptio operis precedentis. quam Burchardus abbas Balernensis suo ingenio apposuit scribendo.

PRescriptum opus uoluminis huius. quod de uita sanctissimi uiri Bernhardi clarauallensis abbatis a uenerabili Gwilhelmo sancti Theodorici abbate conscriptum est. usque ad tempus scismatis aduersus innocentium papam a petro leonis conflati digestum esse cognoscitur. Fuit autem prefato fideli uiro specialis causa scribendi. amicicia et familiaritas. quibus uiro dei multo tempore coniunctus erat. Unde et tantam apud illum inuenerat gratiam. ut uix alter magis intimum inueniretur. ad secreta communicanda mutue dilectionis. ad spiritualium mysteriorum conferenda sacrosancta colloquia. Cuius familiaritatis gratia ex eo precipue usque modo prodit ad manifestationem: quod plures